dinus non modico territus fugit, ejusque patri civitatem hostes ingressos nunciat. Guido autem turbatus filium baculo verberat, et cum quibus valuit gentibus hostes aggreditur, eosque de civitate repellit, quorum repulsioni viriliter insistunt in Turri Presbyterorum Leonardus de Fossotta Praepositus, et Laurentius de Luderano Cardinalis hujus Ecclesiae. Quinque tandem ex hostibus captis, qui sub quaestionum examine positi, et cur eorum propositum non adimplevissent interrogati, responsum dedere; audivimus civitatem aegritudinum morbo sepultam, sed dum per scalas ingressum faceremus, vidimus armatorum militia intra civitatem Ravennae cum vexillis albis, et signo Crucis rubeae signatis, unde distulimus, timentes non modicum. Qui demum quinque laqueo prope Turrim Presbyterorum, ubi antiquitus fuit arx, sive Castrum Romanum Ecclesiae, et ubi fecerant aditum, suspensi sunt. Dominus Galeottus autem de Malatestis praedictus castrametatus ima cum ejus exercitus